UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii, atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam Confessionem amplectuntur

Lipsiæ, 1606

Brevis Præfatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

Visual Library

BREVIS PRÆFATIO.

Quo conſilio hæc doctrina tradita.

PRAESENTIS HVIVS OPVSCVLI ſermonem haud alio animo elaborauimus, quàm vt eſſet inſtitutio puerorum atq; ſimplicium. Hinc apud veteres lingua Græca Catechiſmus dictus eſt, quæ vox puerilem inſtitutionem ſignificat. Hæc verò cuiuis Chriſtianorum neceſſariò debet eſſe perſpecta & cognita, ita, vt ſi quis huius cognitionem non habeat, in Chriſtianorum numerum meritò non ſit referendus, neq; ad Sacramentorum participationem admittendus. Quemadmodum opifex quiſpiam manuarius, qui artis aut opificij ſui rationem & vſum non callet, iure optimo reprobandus, & minimi precij habendus.

Cognitio Catechiſmi quàm neceſſaria.

Exercitium docendi Catechiſmi.

Quapropter pueris articuli ad Catechiſmum ſeu puerilem inſtitutionem pertinentes, ſummo ſtudio tradendi ſunt, inq; ipſis nõ ſegniter exercenda eorundem induſtria. Inde fidelis ac vigilantis patrisfamiliàs officium exigit, vt per hebdomadam ad minimum ſemel habito examine liberorum ac familiæ periculum faciat, ac audiens exactè perquirat, quid hiſce de rebus intelligant aut didicerint, quibus ignoratis, eoſdem ſeriò & grauiter eò, vt iſta perdiſcant, adigat. Probè enim commemini, atq; adeò quotidiè hoc ipſum vſu venire videmus, vt vſque adeò tardo atque hebeti ingenio inueniantur homines, iamq; natu grandiores, quibus hac de re nihil prorſus compertum fuit, aut etiam hodie teneant, quanquam nihilo ſecius Sacramentorum nobiſcum fiant participes, omnibusq; illis vtantur, quæ peculiariter Chriſtianis vtenda data & inſtituta ſunt, cùm tamen ij, qui Sacramentorum vſum ſibi vendicant, plus ſcire, neque non ampliore Chriſtianarum rerum intelligentia præditi atq; exculti eſſe debeant; quàm pueri aut nouitij ſcho-

laſtici:

laſtici: Cæterùm nos pro inſtituendo vulgo, hiſce tribu
partibus contenti erimus, quæ à priſcis vſq; ſeculu rece-
pta conſuetudine in Chriſtianiſmo permanſerunt, tamet-
ſi perpauca ex his rectè & ſincerè tradita ſint popul
donec in iiſdem probè triti & exercitati euaſerint, cu
ſenes, tum iuuenes, quicunq; Chriſtiani eſſe aut
dici contendunt. Sunt autem hæ, quæ
ſequuntur.